

311,4.

**L.**  
**Jahres-Bericht**  
über das  
**städtische Gymnasium**

zu

**Schneidemühl,**

womit zu der

**öffentlichen Prüfung der Schüler**

**am 24. September 1869**

ergebenst einladet

**O. J. Hanow,**  
Gymnasial-Direktor.

Inhalt:

- 1) Disputatio Vergiliana. Scr. O. J. Hanow.
- 2) De supremis Zeussii curis positus in Grammatica Celtica. Scr. H. Ebel.
- 3) De loco Varronis, qui est de L. L. 8. 44. Scr. A. Zippmann.
- 4) Schulnachrichten.



Schneidemühl,

1869.

Buchdruckerei von S. Eichstädt.

95C  
12 (1869)



# Journal

Band 10

## Neuherausgegeben

### Verzeichniß

der

öffentlichen Prüfung der Schüler

am 24. September 1889

in

O. J. Hanow

Verlag

Inhalt:

- 1. Die deutsche Sprache, von O. J. Hanow.
- 2. Die deutsche Grammatik, von H. Ebel.
- 3. Die deutsche Literatur, von A. Xiphonos.
- 4. Die deutsche Geschichte, von A. Xiphonos.



Verlag

1889

Düsseldorf, am 24. September 1889

dicitur quod Gossravius hanc necessitate est, tibi nos illis vestibus ad certamen primi diei  
 ita ut plane obliteretur memoria alterius diei et prolixi, equis jam sit facta mentio? Mittimus  
 hanc inquit neve patiens omni arte destinatum esse postquam egressum, Ascanii aliam  
 quod est Heynius in auxilium vocare omiserit facile est ad intelligendum, adversarios ejus negle-  
 xisse mirari. Venus enim in oratione quaedam phrasin laementatur inter alia, Ascanium ipse  
 tum abesse (v. 252), idque ita esse laetatur Jans (v. 85), Jam hoc laetum libet deum esse  
 inquit diei: non intelleges nec Venoris quodas nec Jannois tristionem, Scilicet Gymbodes  
 nocte Ascanium certatorem fecerat de periculis in quibus versabatur Ascanius (v. 230 seq.). At  
 Ascanium conventum esse a Nympha deae dixerunt, Adus, sed videbant eum abesse, nam die  
 orto vel ne spinas vellet, paulo post diem ortum sin conspicit Turnos habet et sua castra  
 (v. 200). Atque ut nihil reliqui sciamus ad rem conferendam, cum jam nocte tenentur Atches  
 equites praemissi Jocus Jussa (v. 238 seq.), quis potest dubitare, dum appropinquat Ascanius?  
 Turnus qui non abitus erat nisi ducibus, ut advenit postquam Ascanius explevit, et  
 v. 239 seq.: deinde, quae edunt et inquit, non contrit?

### Disputatio Vergiliana.

Scriptis O. J. Hanow.

Aeneidos libri decimi versu primo »panditur interea domus omnipotentis Olympi« utrum  
 novum diem illuxisse Vergilius voluerit significare, an eodem die, quem ortum esse IX. 459  
 scripserat, regiam Olympi esse patefactam ad concilium deorum habendum, et veteres interpretes  
 dubitaverunt\*) neque recentiorum quisquam ita dijudicavit, ut res sit posita extra dubitationem.

Hanc rationem cum amplexus esset Heynius, post Gossravium Ladewigius et Ribbeckius  
 (proleg. crit. p. 171.) praetulerunt illam atque pro certo adfirmaverunt libro decimo praeter  
 versus 146—162 et 215—257 nihil contineri nisi res uno eodemque die gestas. Neque id temere  
 dixerunt. Nam cum Jovem loquentem faciat poeta in concilio deorum haec (v. 107): »quae-  
 cunque est fortuna hodie...«, non possumus non concedere magni cujusdam proelii illo  
 ipso die committendi expectationem commoveri neque ullo modo respondere huic expectationi  
 versus qui secuntur duodetriginta, nominibus procerum Trojanorum refertos, qui »miseri stant  
 turribus altis nequiquam.« Nihil autem refert in hac re, utrum Heynium secuti primi proelii  
 descriptionem interruptam X. vv. 1—117 excipi et absolvi vv. 118—145 persuasum habeamus,  
 an statuamus alterius proelii narrationem horum duodetriginta versuum artissimis finibus includi  
 — id quod indignissimum tanto poeta et omnino improbandum. Praeterea Heynii sententiae ad-  
 versatur cum illud, quod Ascanius, quem IX. 661 seqq. jussu Apollinis proelio excessisse legi-  
 mus, X. 132 inter medios principes pugnantes conspicitur, tum quod gloria Menesthei, quam  
 Turni impetu propulsato sibi pepererat (IX sub fin.) pristina dicitur X. 143. Neque enim  
 credibile videtur Ascanium vel ductores neglexisse quod paucis horis ante ut fieret ipse impera-  
 verat Apollo, neque pristinum est, quod modo natum. Itaque, ut dixi, non sine causa Heynii  
 ratio rejecta videri potest. At, cum non is sit Heynius, qui effutire quidquam malit quam fir-  
 missimis fundamentis fulcire, mirationem facit, quod nemo adhuc, quod sciam, satis perpen-  
 derit, quid quantumque valeant ad ejus sententiam sustentandam versus 146 seq. et 215 seq., ad  
 quos provocat vir doctus. Equidem his: »illi inter sese duri certamina belli contulerant« et  
 »jamque dies caelo concesserat...« cum certissimum sit referenda esse ad versus proxime  
 antecedentes, subversam esse sentio rationem Gossravianam. An potest quidquam fingi absur-

\*) Servius: „secundum poeticum morem hoc dicit: factus est dies. Quamquam „panditur caelum“ etiam  
 simpliciter possumus accipere pro quovis tempore... quod et melius est.“ Judicio abstinere Velius Longus  
 schol. Veron. Aen. X. 1. p. 102, 21 K.

dus quam quod Gossravius fingat necesse est, rejici nos illis versibus ad certamen primi diei, ita ut plane obliteretur memoria alterius diei et proelii, cujus jam sit facta mentio? Mittamus hac ineptias neve putemus omni arte destitutum esse poetam egregium. Accedit alterum, quod cur Heynius in auxilium vocare omiserit facile est ad intellegendum, adversarios ejus neglexisse mireris. Venus enim in oratione querelarum plenissima lamentatur inter alia, Aeneam ignarum abesse (v. 25.), idque ita esse laetatur Juno (v. 85.). Jam fac initium libri decimi esse initium diei: non intelleges nec Veneris querelas nec Junonis irrisionem. Scilicet Cymodocea nocte Aeneam certiozem fecerat de periculis, in quibus versabatur Ascanius (v. 236 seq.). At Aeneam conventum esse a nympba deae ignorabant. Audio, sed videbant eum adesse, nam die orto vel, ne spinas vellas, paullo post diem ortum »in conspectu Teucros habet et sua castra« (v. 260). Atque ut nihil reliqui faciamus ad rem conficiendam, cum jam nocte tenerent Arcades equites praemissi »loca jussa« (v. 238 seq.), quis poterat dubitare, quin appropinquaret Aeneas? Cujus rei ne minima quidem significatio nec in Veneris nec in Junonis oratione. An vero Turnus, qui non adjutus erat nisi humanis opibus, contigit ut adventum hostium exploraret (cf. v. 239 sq.): deabus, quas odium et amor stimulabat et acuebat, non contigit?

Quae si recte animadversa sunt, hoc consecuti sumus, ut neque Heynii neque Gossravii ratio adoptanda videatur. Quid igitur? Difficultatum removendarum num omnis spes abjicienda? Credo ego esse tertium, ad quod vestigiis haud sane obscuris ducamur atque adeo trahamur.

Sunt haec vestigia in oratione Jovis, in qua cum nec Venerem nec Junonem similitates veteres deposituras esse intellexisset, quid sentiat et velit aperit his verbis:

107 quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,

Tros Rutulusve fuit, nullo discrimine habebō,

seu fatis Italum castra obsidione tenentur,

110 sive errore malo Trojae monitisque sinistris.

nec Rutulos solvo. sua cuique exorsa laborem

fortunamque ferent. rex Juppiter omnibus idem.

fata viam invenient.

Sic locus legebatur ante Ribbeckium. Is, praeterquam quod v. 108 recte scripsit Rutulusne, versus 109 et 110, qui ne cohaerent quidem cum vicinis, tanquam inculcatos ab interpolatore aliquo ejecit et versu 111 Nonii Marcelli lectionem »populos« pro vulgata »Rutulos« recepit. »Populos solvere« idem vult esse quod »acies populorum solvere« (cf. Ribb. prolog. pp. 84 et 211). Duobus illis versibus expulsis »Rutulos« ferri non posse cum antecedit »Tros Rutulusne«, manifestum est; sed Nonii Marcelli lectio, licet speciosa sit, non tamen video quid lucri afferat. Nam quamvis libenter demus, »populos solvere« valere »acies populorum solvere«, offendit praesens »solvo« inter futura »habebō, ferent« interjectum, offendit pronomen »quisque« tribus deinceps versibus ter repetitum molestissime, non evulsi sunt — id quod caput est — scrupuli, quos nobis injecti Peerlkampii sagacitas. Nam quis semel admonitus toleranda existimabit non solum eadem vocabula brevissimo intervallo iterata (cuique, quisque — cuique; fortuna — fortunam, Rutulus — Rutulos;) sed etiam easdem sententias bis positas. Quid? is qui non curaturum se promittit, Tros sit an Rutulus (108), nonne utrisque idem est (112)? non eum, qui intercessurum se negat, quominus illi populi sua fortuna utantur et sua spe (102), patet velle illis »sua exorsa laborem fortunamque ferre« (111 seq.), neque in animo habere acies populorum solvere? Haec autem: »seu fatis Italum — nec Rutulos solvo« cum in medio relinquunt, utris faveat fatum, Jovemque nec moraturum fatum nec commutaturum confirmant, quid differant, si summam rem spectamus, ab illis: »Tros Rutulusne fuit nullo discrimine habebō?« Habemus igitur duo quasi corpora, quorum utrumvis potest tolli nullo sententiae

damno; in altero autem, ut sententia recte procedat, puncto post »sinistris« nullum locum esse facile intellegitur, itemque verba »nec Rutulos solvo« interjecta putanda esse, ut apodosis incipiat a vocabulo »sua«. Et erat justa caussa, cur Rutuli separatim commemorarentur. Memineris, quas lamentationes effuderit Venus (v. 20 seqq. cernis ut insultent Rutuli . . .), tene Rutulos longe superiores discessisse ex proelio, in eo fuisse ut castra caperentur, nihil spem Aeneae reditus ostendisse — id quod ex iis apparebit, quae mox dicenda erunt — non dubitabis, quin solatium voluerit praebere Juppiter filiae. Ceterum verba vexatissima seu fati Italum castra obsidione tenentur sive errore malo Trojae monitisque sinisteris si quis satis obscura censeat, equidem non obloquor.

Attamen cum tantus sit illorum, quae diximus corpora, consensus, ut componi nequeant, non deest unum certe, in quo vehementer inter se discrepent. Nam quae Juppiter recipit priore loco, ad illum ipsum diem spectare quo loquitur, documento est particula »hodie«; quae posteriore pronuntiantur, non certum quoddam et definitum tempus, sed infinite futurum respiciunt. Hoc etiam atque etiam premendum est; in hoc cardo rerum versatur. Hoc enim qui reputaverit oculosque retorsit ad spatium decursum et erit contuitus quae congesimus: elucebunt ei opinor vestigia secundarum curarum. Ne unum quidem versum Vergilio eripi patimur — adeo dissentimus a Peerlkampio et Ribbeckio — omnes fudit, sed non eo consilio, ut conjungerentur, sed non eodem tempore. Aut ego fallor aut ab initio ita instituit rem poeta, ut proelio confecto di in Olympum cogarentur, oratio Jovis altera constaret versibus 104—106, 109—112, versum 117 subsequerentur haec: »illi inter sese duri certamina belli contulerunt q. s.« Post consilio mutato praestare existimabat deos convocatos fuisse fingere matutino tempore, non tam ut Homeri vestigiis insisteret (Il. VIII), quam quod par erat, cum Aenea adventante de summa rerum decerneretur necesse esset, rem, quae maximi ad omnia momenti futura esset, praeparare et insignem facere. Et cum temporis significatio desideraretur in iis, quae erant, neque ita valde commendarentur nonnulla a perspicuitatis ratione, resecando addendo ita novavit Jovis orationem, ut contraheretur et esset versum 104—108, 113. Hac mutatione facta consentaneum fuisse adjici vv. 118—145, per se satis exiles, non est quod moneam. Eo erat res perducta, i. e. nondum erant omnia perpolita et fixa, cum fati iniquitate poetae »vita . . . fugit . . . sub umbras«.

Restat ut suspensiones nostras proferamus de iis quae secuntur, quibus et ipsis ultimam manum accessisse parum probabile videtur. Redit poeta ad Aeneam his verbis (146 seq.):

illi inter sese duri certamina belli

contulerant: media Aeneas freta nocte secabat.

atque, postquam summatim relatum est, qua usus oratione Tarchonem Etruscum ut societatem secum iniret adduxisset, et ipsum virum fortissimum inducit sedentem in navi eventusque belli varios volutantem, et Pallantem ejus lateri adfixum »jam quaerentem sidera . . . jam quae passus terraque marique.« Inde a versu 163 usque ad v. 214 enumerantur populi, qui Trojanos comitabantur.

In his nihil fere est, quod mutatum velis, sed ecce denuo offendimus scopulos. Lege haec:

215 Jamque dies caelo concesserat almaque curru

noctivago Phoebae medium pulsabat Olympum:

Aeneas (neque enim membris dat cura quietem)

ipse sedens clavomque regit velisque ministrat.

Quasi velit memoriae nostrae infigere rem qui ea composuit, denuo facit Aeneam navigantem, denuo plusquamperfecto verbi nos monet, qua nocte in navi vehatur, denuo docet mediam esse

noctem, denuo curis vexatum virum somnum capere non posse. Et fuisse virum vexatissimum, quem sollicitum teneret cogitatio belli venturi, rogitando enecaret Pallas, occuparet cura clavi et velorum, quis est qui neget? Atque vereor, ut tot tamque varia possit negotia sustinere unus homo. Sed tam incondita noli tibi persuadere voluisse Vergilium intacta relinquere et posteris tradere. Neque, etiamsi discesseris ab illa insulsa iteratione, non deprehenditur unum indicium, quod primam manum obscuratam illam quidem sed non plane extinctam ostendat. Pallas enim, quem lateri Aeneae adhaerentem vidimus vv. 160 seq., appulsis navibus equitum terrestri itinere praemissorum ducis partes agit vv. 362 seq., neque aut ab Aenea eum abisse leviter significatum est, aut quomodo ad suos pervenire potuerit satis apparet. Succurrunt Vergilio interpretes. Ego autem tantum abest ut ad rem expediendam quidquam cogitatione addendum esse existimem, ut poetam opiner initio Pallantem non addidisse Aeneae comitem. Cui opinioni mirifice favet illud, quod Pallantis nulla mentio injecta est a versu 215 ad v. 361, quamquam eum adfuisse, si quidem aderat, ut indicetur plus semel paene flagitamus (cf. vv. 249 seq.). Quod si sumas, sequitur ut vv. 146—162 postea intexti sint a poeta, certe duo primi versus et quattuor extremi, cum reliqui, quibus carere non possumus, fortasse locum habuerint post v. 165.

Sed, cum ad hunc locum perventum sit, video frenos esse inhibendos cavendumque ne titubemus.

### De supremis Zeussii curis positis in Grammatica Celtica.

Scriptis H. Ebel.

In emendanda Grammatica Celtica quam rationem secuti, quibus usi simus auxiliis, hoc quidem cum in relatione, quam editoris rogatu ipsi inseruimus actis Zarneckii (Liter. Centralblatt, 1869, No. 22), brevius significavimus, tum plenius ac disertius exponemus in praefatione. Quoniam tamen, donec totus iterum liber in lucem prodierit, satis longa mora intercessura est, haud inutile nobis quidem videmur esse facturi, si de uno operae nostrae adiumento nunc iam paucis disseremus: de opera, quam in opere suo ipse auctor collocaverat edito. In editum enim non minorem ab illo quam in edendum esse collatam operam ac diligentiam probatur multis et variis, quae per triennii spatium, quo solo eum superstitem fuisse constat editioni libri, in suo ipse exemplari adnotavit. Omnium igitur horum, quaecunque litteris mandavit, tametsi impari sicut antea studio, quo quamque linguam vel dialectum amplexus erat, plurima observavit de lingua hibernica, de cambrica dialecto multo pauciora, nulla de cornica aut aremorica, universe tamen genera sunt duo. Nam aut exempla e codicibus manuscriptis attulit nova, pridem allata rectius vel plenius proposuit, aut quae praeceperat ipse de legibus linguarum et analogia, correxit atque auxit.

Ac de illis quidem, quoniam lectores, quae ex ipsius exemplari, quae aliunde assumpserimus, dubii esse vix poterunt, fusius disputare omittimus; satis habebimus duobus vel tribus exemplis demonstrasse, quid adiumenti eadem attulerint ad doctrinam grammaticam et notitiam linguae, praesertim hibernicae. Ut e sententia nuper allata ad p. 433 — imrádat imráti cid maith asdéntí et nertit adénun inmaidsin connessat im ingním nolcé et arangairet (gl. ipsi sibi sunt lex . . . inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, Rom. 2, 15; i. e. cogitant cogitationes, quid boni sit faciendum, et confirmant eius factionem, boni illius, condemnant autem opus malum et interdiciunt id) Wb. 1<sup>d</sup> — aperitissime patet discrimen duplicium illarum formarum, quae singularem in flexione verbi constituunt proprietatem linguae hibernicae, iis ipsis legibus parere, quas ed. II. p. 425 sqq. breviter exposuimus; sunt enim e quattuor, quae in his continentur, exemplis tertiae personae pluralis subiunctae formae tria: argairet (interdicunt), connessat (condemnant), imrádat (cogitant), profecta a verbis trium serierum compositis, unum absolutae: nertit (confirmant), a simplici verbo seriei primae. Nec aliter exemplis quibusdam formae na, quae ad p. 235 proposuit vir doctissimus, quamquam miro errore inductus articuli formam generis neutri a miro modo mutatam in iis inesse voluit, collatis cum formula pronominali na aill (aliud quid),

quam ille olim plurali tributam postea reiecta interpretatione priore eodem huc rettulerat p. 364, eam huius formulae explicationem enucleare potuimus, quam unam esse veram ostendit analogia, ut na sit nach pronominis forma nom. acc. singularis in genere neutro (ed. II. pp. 358. 362). Item sententiam ed. I. p. 441 prolatam: hore damelat, in qua dudum (Beitr. V. 45) suspicabamur inesse vitium, iam in pleniorum formam eamque correctiorem restituere nobis licuit (ed. II. pp. 332. 432) e loco integro apposito ad p. 453: iscumme doib bid idalte domeltis hore ni tri sonirti nirissee damelat (est idem iis acsi idolothytum ederent, quia non per firmitatem fidei ea edunt) Wb. 10<sup>c</sup>; quod exemplum cum paucis ad p. 885 ab auctore additis pertinet ad ea, quae olim (Beitr. V. 44) disputavimus de omissione relativi legitima. Denique multa eiusmodi inveniuntur, quibus aut quae nos vel alii coniectura assecuti eramus, probantur ac confirmantur, aut corriguntur errores veteres vel novi, aut novi quippiam accedit ad scientiam nostram. E magno autem numero vocabulorum, quibus cognita antea nobis copia nuperrime aucta est, iam non nominabimus nisi duo peregrina, quorum prius servavit lingua hodierna, alterius iustam interpretationem miramur non esse repertam a viro sagacissimo: in sciam (gl. schema) ed. II. pp. 18. 331, hod. *sgiamh* (forma, pulcritudo), et gluass, gluas, glúas (glossa) p. 22 sqq.

Quare, quod facultas nobis data est eripiendi absconditas illas opes summa assiduitate collectas e tenebris atque oblivione, laetaremur, etiamsi non accederent ad haec exempla aliquot adnotationes et correctiones, quibus ipse, quae de significatione verborum vel de linguarum legibus tradiderat, modo amplificavit modo emendavit. Accessit vero eiusmodi copia haud mediocri. Quamquam, quod nemini mirum videbitur, ipse quoque interdum errores vel non correxit veteres, ut quae de *n* superflue addita, de *no* relativa, de *s* e gutturalibus orta minus recte statuerat\*), vel isdem deceptus novos admisit, ut quae de *na* pronominis forma supra memoravimus. Sed haec haec. Quae autem aut convenientia cum iis, quae nobis et Stokesio placuerunt, aut nova plane ipse reppererat, haec fere invenimus adnotata in Vol. I. operis.

Ex hibernicis excussae consonae exemplis (p. 20) dempsit stán (gl. stagnum) Sg. 73<sup>a</sup>, qua falsa codicis scriptio Stokesium quoque (Goid. 70) et qui eum sequeretur Schleicherum (Indogerm. chrestomath. p. 354) decipi vidimus; adnotavit autem haec: gl. stannum, in codice stagnum! O' R. *stan*, tin. Rectissime vero. Nam etiamsi in omnibus Prisciani libris (5, 10, 54) scriptum extat stagnum, tamen neque de stagno cogitasse glossatorem monachum Hibernum, et suo iure editores e correctione editionis Ascensianae recepisse stannum probatur tam contextu sermonis, quo quidem post metalla nominata (aurum, argentum, aes, plumbum) requiratur nomen metalli, quam hibernicis formis recentioribus et hodiernis, ut iam in glossis hibernicis a Stokesio editis haec inveniuntur: hoc stannum sdan gl. 789, hic staneus, a. um stanamhail gl. 610. — Similem interpretationis correctionem, etsi non plenam, adhibuit ad p. 454: conicfimmis adigal (possemus ulcisci) et p. 455: ciáfadam (etsi patior); emendate utrumque, si adicias pronomen (id). Eodem pertinet, quod e variis formis perperam ad radicem IO relatis p. 494 unam saltem sustulit recta interpretatione: acumactte nangid (potestatem nequam); de quo exemplo pridem disseruimus (Beitr. II. 64).

Ad sonorum regulam spectant, quae ad p. 68 apposuit ut exempla consonae *v* una cum praecedente vocali evanescentis: posit (positivus), comparit (comparativus), superlit (superlativus), ée (mors), quibus unum nos (p. 58) addidimus dess, des (dexter). Plenius vero ille de *f* in *b* (hod. *bh*) mollita disseruit locis compluribus. Qui cum uncis inclusisset, quae olim

\*) De quibus cf. quae Whitleius Stokes et nos certatim disputavimus: Beitr. I. 166. 354. II. 64 sq. III. 280. V. 33—37. — III. 61. 258.



p. 46 praeceperat de *b* pronominum sibi (vos) et *bar* (vester), ascripsit haec: cf. p. 66. 72 et ibi adnotata. Adnotavit autem non solum ad p. 66: *B* pro *f*: *sacbarbaice* (sacrificium), *felsub fellsube* (philosophus, philosophia), *abamein* (optat) iuxta *afameinn*; sed etiam ad p. 88, prima infectionis destituentis vestigia inveniri dicens iam in vetusta lingua hibernica praep. *dar* pro *tar*, pron. poss. *do* (tuus) pro *to*, pergit his verbis: atque *barn*, *bar* (vester) frequenter scriptum pro *farn*, *far*, cuius *b* non primitivam, sed ex *f* mollitam ostendunt praep. *i*, *iar* praemissae, non *in*, *iarm*, ut fit ante *b* primitivam. Eadem additis exemplis modo disertius modo brevius repetita sunt ad pp. 72. 344. 346, tandem ad p. 580. Quare dubitari vix poterit, quin ipse, si haec studia ultra proferre per longius vitae spatium ei licuisset, ad eandem fere de hac re sententiam progressus fuerit, quam nos (p. 54 sq.) proposuimus.

Plurima tamen ille addidit vel novavit de ratione et flexione verbi. Ut ad p. 415 adnotavit particula *ro* significari futurum exactum, quod quam prope absit a veritate, cernitur exemplis coniunctivi, quae ed. II. 413 sq. 442 vel ab illo accepimus vel ipsi collegimus. Idem de *d* pleonastice addita post *ceru-* monuit (cf. Beitr. V. 67. sqq.). Ad p. 440 recte notavit *fortág*, *contáig* non illuc pertinere, sed ad seriem tertiam (quam primam nos constituimus). Ad p. 436 attulit exempla futuri sine *b* formati e thematis desinentibus in mutas, e quibus quod unum olim protulerat tamquam praesentis formam, *ni gebat* (non accipiet), nos quoque futuro restituimus (Beitr. III. 262 sq.); ceterorum eiusdem formationis exemplorum auxilium copiam pp. 439. 443. Congruit cum his, quod ad p. 457 vere monuit formam relativam *gebas* (qui accipiet) esse futuri (cf. l. c. III. 265). Ibidem 2. pers. pluralis formam relativam praeclare agnovit *bede* (quod sitis) in hoc exemplo: *conicfidsi bede* preceptorum (poteritis esse praeceptores), quocum, etsi haec ipsa forma nos fugerat, tamen conferenda sunt, quae l. c. disputavimus (III. 267). Ad p. 442 idem addidit exempla terminationis *D*, e quibus hanc praeteriti formationem (per *t* factam) apparet non contineri iis verbis, quorum themata liquidis terminentur aut gutturalibus. Plurimum vero valent ad effingendam flexionis imaginem, quae ille observavit ad p. 444. Ubi non modo perspexit *labrar* (loquar) et similes formas esse coniunctivi sicut *tá* (sim) p. 477; verum etiam demonstravit exemplo formae *domointerso* (gl. existimas autem?) *Wb. 1<sup>o</sup>*, verbi deponentis 2. pers. sing. sicut tertiam per *t* (*th*) formari. Cuius formae quattuor praeterea exempla indicativi praesentis repperi, quibus nescio an addendum sit *tarsatochuirther* (super quem ponis), in quo interpretando (super quem ponitur) ed. II. 342 iam vereor ne temere secutus sim illius auctoritatem; unum coniunctivi; unum, *ni fallor*, praeteriti: *fomentar* (opinatus es), quod ille tribuit imperativo.

De hibernicis hactenus; de cambricis autem quae ipse suo exemplari ascripsit, haec fere sunt. Ad p. 218 adnotavit destitutionem fieri post praepositionem *att* (ad), eandem post *dan* (sub) ad p. 643. Ad pp. 295. 297. 298 substantivorum pluralem cambrice quoque in *R* terminantem illustravit exemplo *gwaewar*, *gwewyr* (hastae), in *-awt* desinentem exemplo *pyscawt* (pisces). Comparationis gradus e substantivis derivatos apposuit ad p. 305. Tandem ad p. 396 adiecit pronomen possessivum 3. pers. sing. infixum cum praepositione *y* (ad) non solum in *oe*, sed etiam in *yw* transgredi.

Haec sunt quae in volumine priore sedulis ac diligentibus viri curis aucta, adiecta, emendata invenimus; quorum etsi aliquanto minor copia est quam exemplorum, tamen haud mediocre inde quoque adiumentum operae nostrae nactus nos profitemur animo lubente.

**De Varronis loco, qui est de lingua latina VIII, 44.**

Scriptis A. Zippmann.

Varro de l. l. VIII, 44 ed. Muell. hanc orationis divisionem usitatissimam esse dicit:  
 »Oratio secunda ut natura in quattuor partis: in eam, quae habet casus, et quae habet tempora, et quae habet neutrum, et in qua est utrumque.«  
 Eandem divisionem tradit IX, 31: »An non vides, ut Graeci habent eam (scil. orationem) quadripartitam, unam in qua sit casus, alteram in qua tempora, tertiam in qua neutrum, quartam in qua utrumque; sic nos habere?« et exemplis illustrat tum VI, 36: »Quom verborum declinatum genera sint quattuor, unum quod tempora adsignificat neque habet casus, ut ab lego legis leges, alterum quod casus habet neque tempora adsignificat, ut ab lego lectio et lector, tertium quod habet utrumque et tempora et casus, ut ab lego legens lecturus, quartum quod neutrum habet, ut ab lego lecte ac lectissime: horum verborum« cet. tum X, 17: »tertia divisio est, quae verba declinata a natura dividit in partis quattuor, in unam quae habet casus neque tempora, ut docilis facilis, in alteram quae tempora neque casus, ut docet facit, in tertiam quae utraque, ut docens faciens, in quartam quae neutra, ut docte et facete.« Quibus exemplis confirmatur, quod ipsa ratio docet, hanc divisionem alio modo explicari non posse nisi ut statuatur partem, quae habet casus (quam X, 18 breviter vocat casualem) esse nomen, quae habet tempora verbum (cf. verbum temporale VIII, 13 et IX, 95), quae habet neutrum adverbium, quae habet utrumque participium.

At quae sequuntur post verba ex VIII, 44 supra exscripta, repugnant et eis, quae praecedunt, et eis, quae ceteris locis traduntur: »Has vocant quidam appellandi, dicendi, adminiculandi, iungendi. Appellandi dicitur ut homo et Nestor: dicendi ut scribo et lego: iungendi ut et et que: adminiculandi ut docte et commode«. Nam casualis quidem pars est verbum appellandi et temporalis verbum dicendi et adverbium verbum adminiculandi, sed desideratur participium, cuius loco nova pars substituitur coniunctio, quae non utrumque habet, casus et tempora, sed neutrum, neque casus neque tempora; qua ratione non differt ab adverbio, quod tertio loco positum est. Itaque haec nova divisio est prorsus diversa a priore; cui ut verbis »has vocant quidam« a Varrone subiungeretur, tamquam si nominibus tantum non re discreparet, nullo modo fieri poterat.

Nihilominus Lerschius in libro, cui inscripsit: »die Sprachphilosophie der Alten« (II p. 147), tolerabile esse tale dicendi genus sibi persuasit. Monet enim in »quidam« vocabulo cardinem sententiae verti, quo discrete significetur hanc alteram divisionem alienam esse ab ipso

Varrone; Crateteos autem indicari, quorum divisionem scriptor hoc loco amplecti instituerit, quod ex eorum sententia contra analogiam loquatur. Quam rationem parum sufficere ad difficultatem tollendam recte vidit Schoemannus (»die Lehre von den Redetheilen nach den Alten« p. 14 not.). Ipse autem vir doctus dubitari non posse putat, quin Varro non dicere voluerit eandem esse alteram divisionem atque priorem; quod autem videatur hoc dicere, ea re egregie confirmari id, quod Muellerus statuerit »hos libros accelerato et quasi immaturo partu editos esse«; ipsi Varroni si extremam manum eis imponere licuisset, certe eum moniturum fuisse, quantum a sua divisione differret altera; ceterum hanc videri initio in margine adscriptam postea demum in textum irrepsisse. Tamen idem Schoemannus ad mutationem confugere et »contra« vel »aliter« adverbio ante »has vocant« inserto mederi velle videtur; putat enim, si ita scriptum esset, posse fortasse hanc sententiam restitui: »dagegen« vel »von einem anderen Gesichtspunkte aus stellen Einige folgende vier auf.« At nostro quidem iudicio neque haec coniectura probanda est neque sententia Muellieri. Nam apparet et »has« pronomine non alias, sed easdem partes indicari quas antea, et »vocant« non idem esse quod »statuunt«, cuius verbi notionem illi substituatur necesse erit, si quis hoc loco mutando aliquid proficere volet. Eorum vero opinionem, qui his libris extremam Varronis manum accessisse negant, nuper strenue impugnavit Aug. Wilmannsius (»de M. Terenti Varronis libris grammaticis« Berolini 1864 pag. 37 sqq.) vir, si quis alius, in hoc scriptore egregie versatus. Sed ne opus quidem est eam attingere. Nam etiamsi probanda videatur, tamen nullo modo concedam, cum primum scriberet, adeo somniasse scriptorem, ut rem simplicissimam suis verbis dicere non posset, sive in ipso textu ea composuit sive in margine adscripsit. Sed ne hanc quidem Schoemanni de margine coniecturam probari posse inde elucet, quod scriptor tractationem, quam subicit (§. 45), vocabulo usus ex altera partitione desumpto ita incipit: »Appellandi partes sunt quattuor.«

Ex eis, quae diximus, sponte apparet, cur ne Wilmannsius quidem de hoc loco (l. s. a. p. 27 not.) nobis persuadeat. Is enim e tribus eis partibus orationis, quas a Dione discretas esse uno loco (VIII, 11) Varro tradit, »unam, quae adsignificat casus, alteram, quae tempora, tertiam, quae neutrum,« originem traxisse suspicatur et priorem et alteram nostri loci divisionem; in illa enim tribus partibus Dioneis addi participium, in hac ex tertia Dionea ortas esse duas, iungendi et adminiculandi; itaque videri Varronem »quamvis non prorsus accurate, tamen non ita negligenter« locutum esse, »cum« has ad quattuor partes generales, non ad proxime antecedentes referret. Immo nos credimus hoc dicendi genus quam maxime negligens esse neque excusari aut, si qua sit, originis communione aut aliorum scriptorum testimoniis. Nam idem vir doctus cum haec Prisciani verba (inst. gramm. XI, 2, 6) affert: »itaque quibusdam philosophis placuit nomen et verbum solas esse partes orationis, cetera vero adminicula vel iuncturas earum«, hoc quidem efficit, ut, si sola nostro loco esset altera divisio et ab omni dubitatione remota, eo magis munita videretur Prisciani testimonio, quod sane potest antiquiori auctori deberi, qui noverat prisca illa adverbii et coniunctionis nomina; sed minime solvit nostri loci difficultatem, quae posita est in eo, quod duae divisiones coniunctae sunt. Itaque eam rationem solam rectam esse constat, quae accuratius consideret ipsam hanc enuntiatorum coniunctionem.

Etenim Varro cum dixerit: »Oratio secunda ut natura in quattuor partis: in eam, quae habet casus, et quae habet tempora, et quae habet neutrum, et in qua est utrumque« et perspicue haec addat: »has vocant quidam appellandi, dicendi, adminiculandi, iungendi«, nihil significare potest nisi hoc: casualem partem a quibusdam vocari appellandi, temporalem dicendi, eam, quae habet neutrum, adminiculandi, eam, quae utrumque — participium dico nostrum — iungendi. Nam de una eademque divisione agi necessario efficitur artissimo vinculo, quo

duo enuntiata illa conexas sunt et inter se ipsa et cum ea paragrapho, quae sequitur; in qua iam supra dictum est tractationem ab appellandi verbo ex altera divisione desumpto ita incipi, ut appareat non diversas esse posse alterius partes a divisione priore.

Ea igitur interpretatio, quae sola, ni fallimur, rectam sequitur et cogitandi et dicendi normam, tantum abest, ut refutetur eis exemplis, quae a Varrone addita esse et repugnare illi videntur, ut haec falsa esse efficiat et non ab ipso Varrone addita. Quae suspitio confirmatur ipsa exemplorum condicione. In quibus iure mireris scriptorem, cum antea partes ipsas hoc ordine enumeraverit: »appellandi dicendi adminiculandi iungendi«, verbis adminiculandi praemittere videri verba iungendi. Quam inconstantiam iam Muellere intellexit prorsus abhorre ab accuratissima illa ac prope nimia etiam in rebus minutis Varronis diligentia; sed idem recte vidit sola transpositione non ita sanari posse locum, ut etiam reliquae eius offensiones tollantur. Nam simul transponenda sunt exempla et sic corrigenda: »appellandi, ut »homo« et »Nestor«; dicendi, ut »scribo« et »lego«; adminiculandi ut »docte« et »commode«; iungendi ut »scribens« et »legens«.

Violentiam mutationis non veremur ne vituperet, qui meminerit nullo corruptelae genere non perturbatos esse hos libros. Nostro loco cum excidisset extrema pars, (in qua eadem exempla »scribens« »legens«, quae a nobis, a Varrone scripta esse minus certum quidem sed probabile videtur) librarius lacunam explere conatus ter erravit. Neque enim suo loco posuit exempla neque duo, quem numerum desiderat ceterarum partium analogia; nam codicum scriptura »ut que«, quam, si haec sola esset offensio, facile emendari posse apparet, nunc novum accedit interpolationis indicium. Ante omnia autem corrector ille, quale esset Varronianum illud iungendi verbum, ignorans ea appellatione deceptus, quae postea usitatissima erat, coniunctionem addidit pro participio.

Quamquam video etiam nunc fore, qui repudient hoc inauditum participii nomen, quod apud nullum alium scriptorem inveniatur ac ne Varroniano quidem loco altero confirmetur. Qui teneant cum totam hanc divisionem quadripartitam tum appellationes partium apud solum Varronem reperiri. Atque »appellandi« quidem verbum iure dixeris transisse in »appellationis« vel »appellativi« nomen, quod postea vigeat; at nullo omnino alio loco aut adverbia adminiculandi aut temporalia dicendi verba vocari confidenter affirmaverim; nam Priscianum loco s. a., ubi de adminiculis orationis loquitur, vix credam hoc artis vocabulo uti. Sicut autem raritas ita ratio nominis iungendi verbo communis est cum verbis dicendi et adminiculandi. Nam ab ea potestate sine dubio ducta sunt haec partium nomina, quam habent in plena oratione cum aliis consociatae. Dicendi verbum appellatur, quod dicit, quid subiectum vel faciat vel patiat, adminiculandi, quod adminiculat praedicatum, iungendi, quod iungit nomina et verba. De qua vi participii non me quidem audias, sed Priscianum, qui quasi explicare atque defendere videtur eam, de qua agitur, appellationem (inst. gramm. XI, 2, 8 sqq.): »participium est igitur pars orationis, quae pro verbo accipitur, ex quo et derivatur naturaliter genus et casum habens ad similitudinem nominis et accidentia verbo absque discretione personarum et modorum. Ideo autem repertum est participium, quod nomini verbum adiungitur, sed non aliter, nisi sit nominativus casus ei personae adiunctus, secundum quam profertur verbum, ut »facio ego bonus, facis tu bonus, facit ille bonus.« Cum igitur flectas nomen in obliquos casus, verbum adiungi ei non potest intransitivum.« Deinde exposito discrimine, quod intercedit inter transitiva verba et intransitiva, sic pergit: »Cum igitur sint intransitiva, quia non possunt obliqui casus his adiungi, loco verbi subit participium, ut »bonus homo loquebatur«, »boni hominis loquentis orationem audiui«, »bono homini loquenti dedi«, »bonum hominem loquentem audiui«, »bono homine loquente

delectatus sum«; (§. 9) ubique enim participium loco verbi intransitivi accipitur. Vocativus quoque, quomodo nominativus, intransitivis adiungitur, ut »doctus loquens proficis« et »docte loquens proficis« et »profice«. Sicut igitur pronomen ideo est inventum, ut adungi primae et secundae verbi personae possit — nomina enim tertiae personae coniungi volunt absque vocativo casu, qui semper secundae adiungitur personae — sic participia inventa sunt, ut quod deest verbis, id est casus, compleant coniuncta nominibus. — Nec solum per obliquos casus est utile participium, sed etiam per nominativum; diversa enim verba absque coniunctione adiungere non potes, ut »lego disco« vel »doceo discis« non est dicendum, sed »lego et disco« vel »doceo et discis«: nam hoc proprium est tam transitivorum quam intransitivorum; participium autem si proferas pro aliquo verbo et adiungas ei verbum, bene sine coniunctione proferas, ut »legens disco« pro »lego et disco« et »docente me discis« pro »doceo et discis«. Praeterea cf. §. 12: »Igitur participium inventum est, ut nominativus quidem sine coniunctione proferatur cum alio verbo ut »legens doceo« pro »lego et doceo«; obliqui vero casus participiorum ad hoc sunt utiles, quod non solum sine coniunctione proferuntur cum obliquis casibus nominum, sed etiam ad alias transeunt personas, ut »docentis potior« et »docenti respondeo« et »docentem audio« et »illo docente didici«. Denique cf. XVII, 2, 18 extr. 19.\*)

